

PALATINATVS RHENI.

nium illarum esse voluit. Sunt qui eam Ptolemaei *Budorim* esse existiment, quam ipse locat gradu longit. 28, latit. 51; qui tamen positus magis convenit Manhemio, oppido ad Nicri & Rheni confluentes sito, in quo Ioannes Papa tempore Concilii Constantiensis colonus carceris fuit. Nomen ipsi vel à Paganis & Gentilibus, qui *Heyden* Germanis dicuntur, ut sit quasi Paganorum mons, *Heydenberg*: vel à nobilitate, quasi *Edelberg*; vel à vacciniis, quasi *Heidel-beer*. Paulus Melissus Francus, poeta egregius, à myrtis eam dictam existimavit, quasi myrtorum urbem. Itaque sic eam loquentem fingit:

*Heidelberga vocor, myrtilli vescula dona
Monte sub arbofo mi tribuere notam.*

Civitas ipsa magnifica est & elegans. Ager vicinus omnium rerum ad vitam necessarium est ferax: montes quippe vineis & castanetis, ager segetibus, silvæ feris, amnes piscibus, valles fontibus abundant. Commendat ipsam imprimis arx monti imposita, Principum domicilio, structuræ splendore, situs amœnitate, firmitate operis nobilis. Ex ea in urbem subiectam, vicinamque omnem regionem patet prospectus. Fuit quondam & alia arx in vicino montis jugo, cujus ostentantur parietinæ, sed ea fulmine tacta subito diffiliit: quum pulvis bombardicus, qui in ea asservabatur accensus, tecta, muros, trabes disjecit, ingenti cum fragore, nec parvo arcis infra positæ urbisque incommodo. Pons ligneus flumini impositus haud exiguum adfert urbi ornamentum: est enim tam affabre exstructus, ut peritissimorum etiam Architectorum curiositatem exercent. Armamentarium instructissimum tormenta bellica & omnis generis instrumenta Martia in se habet. Tempia quoque sunt illustria. In foro præcipuum sacrum est Spiritui S. habetque tum Principum aliquot sepulturas, tum Bibliothecam omni genere librorum instructam, cui post Melissum præfectus fuit vir literatissimus Ianus Gruterus. Magna ad eam accessio

optimorum librorum facta est per Fuggeros. Post captam à Cæsare Heidelbergam, pulsumque sedibus avitis Palatinum Comitem, tota Bibliotheca Romam translata est. Alterum B. Petri templum in suburbio minus quidem est, sed perquam elegans. Anno 1345 condidit Heidelbergæ Rupertus Comes Palatinus Academiam ad exemplum Scholæ Parisiensis. In sacello Franciscanorum situs est Rudolphus Agricola, cujus monumento Viglius Zwichemius Frisius versus insculpi curavit factos ab Hermolao Barbaro.

*Invida clauserunt hoc marmore fata Rudolphum
Agricolam, Phrisii spemque decusque soli.
Scilicet hoc vivo meruit Germania laudis*

Quicquid habet Latium, Græcia quicquid habet.

Inter Wormatiam, Heidelbergam, Neostadium, Crucenacum, Oppenheimium generosissima sunt vites. Nec totus hic tractus ulli Germaniæ territorio soli ubertate & amœnitate cedit. Flumina maxime celebrata sunt Rhenus & Necarus. Hic prope Ladeburgum Rheno immergitur, piscium, & imprimis mullorum fœcundus. Inter silvas habet *Ortonicam*, partem Hercynii saltus. Comes hodie Palatinus est filius Frederici V & Elisabethæ Jacobi Magnæ Britannæ Regis filia.

Latitudine sua excurrit à Necaro usque ad Mœnum, longitudine à montana via, quam vulgo *Bergstraet* vocant, usque ad fluviolum ignobiliorum Tuborum. Pertinet ad sextum circulum Imperii, qui est quatuor Electorum, Palatini scilicet Rheni, & trium Archiepiscoporum, Moguntini, Trevirensis, & Colonienfis; tum civitatum liberarum, ut sunt Moguntia, Colonia, Treviri, Getenhausen. Principum & Dominorum Palatini cum suo territorio, Comitis Nassaw & Beilstein, Domini in Reifferscheidt & Rheineck: Præfecti Ordinis Teutonici Confluentiæ: Abbatis S. Maximini, juxta Treviros: Præpositi Seltzensis, Domini Nider Eisenburg.

Soli fertilitas.

Flumina.

